



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio LXXXI. De pœnâ dæmonum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



III. Nihil tam enim est solidum in damnationibus gaudium, nec nisi summa amaritudine reserpsum.

Gaudium est quies animi in bono concupiscentis.

IV. Dari simul potest gaudium de uno obiecto, & summus dolor de alio.

Dicendum itaque licet solidum aliquod, seu summam tristitiam, & amaritudinem non reserpsum gaudium contingere nequeat daemionibus (quod forte sensu negant aliqui verum gaudium esse posse in damnatis, sicut in multo leuiore malo, cum Angelus Tobiae dixisset, *gaudium tibi sit*, respondit Tobias, *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lunam caeli non video*) posse tamen in iis leue aliquod, & tenue gaudium reperiri: cum enim gaudium, seu delectatio aliud nihil sit, quam quies animi in bono concupiscentis, illudque bonum quod desiderant frequenter obtineant, seque illud obtinuisse cognoscant, habent obiectum sufficiens ad aliquod gaudium in seipsis excitandum, cum obiectum, quod absens causat desiderium sui, praesens seu coniunctum gaudium causat, seu delectationem, quod quis illud sit adeptus.

Nec obstat summus in iis perpetuo repertus dolor; nil enim vetat cum summo dolore de uno obiecto dari aliquod gaudium de alio: sicut in Christo simul cum gaudio beatifico existit dolor, non in sensu tantum, sed etiam in voluntate de tormentis, quae patiebatur. Quando ergo dicunt

Philosophi vehementem latitiam in nobis tollere dolorem, & e contra, est quia tollitur obiecti doloriferi apprehensio: at verò Angeli, utpote puri spiritus, ad varia simul, etiam contraria perfectissime attendunt: in hominibus autem vehemens tristitia omnem aliarum rerum considerationem, imò ipsum interdum rationis usum impedit.

Neque etiam obstat status; licet namque status beatitudinis omnem excludat tristitiam, cum bonum sit ex integra causa, sicque summum bonum omne malum excludit, & status beatitudinis dici solet status omnium bonorum aggregatione perfectus, sicque omnia mala necessario excludens, etiam deceptionem; cum tamen e contra certum sit statum damnationis, & summam miseriam non excludere omne bonum, non enim excludit cognitionem rerum naturalium in daemionibus, utpote quibus naturalia manent integra, iuxta S. Dionysium & alios. Quare ergo in voluntate habere nequeunt aliquod saltem imperfectum gaudium, status siquidem damnationis non est extensivè status summam miseriam, sed intensivè.

Angeli ad diversissima simul perfectissima attendunt.

V. Misera daemionum conditio non excludit omne gaudium.

In daemionibus naturalia manent integra.

## DISPUTATIO LXXXI.

### De poena daemionum.

Vari circa daemionum supplicium error.

**TERTULLIANVS** in Apologetico cap. 48. *animas reprobas nihil ante diem Iudicii post mortem pati docuit; existimabat siquidem animam sine corpore cruciari non posse. Philo ignem quo cruciantur daemones, nihil aliud assererat esse, quam vermem conscientiae: quam sententiam multi hodie sequuntur ex hereticis. Ex catholicis etiam Catherinus lib. de premio bonorum, & supplicio malorum, ignem inferni dixit non esse verum ignem sensibilem, sed spirituales poenam, solumque ad homines a sceleribus deterrendos ignem esse appellatum.*

Certum est daemones, & animas daemionum vero igne torqueri.

Certum tamen omnino est daemones, & animas daemionum vero igne torqueri; hoc enim ubique Sacrae Literae testantur: sic Matthaei 25. vers. 41. dicitur, *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius: & Apocal. 14. 18. 19. 20. & 22. infernus vocatur stagnum ignis & sulphuris, & alia huiusmodi. Hoc certum: quo autem modo ignis eos cruciat maxima est inter Auctores dissensio, qua de causa S. Augustinus lib. 12. de Civitate, cap. 10. postquam questionem illic movisset, quo pacto ignis corporalis cruciare possit rem pure spirituales, respondet, Veris, quamvis miris modis, etiam spiritus incorporeos posse poenam corporalis ignis affligi; quam ob rem nonnulli affirmant modum hunc nobis plane esse ignotum, nec alio modo respondent questioni. Conandum tamen nobis est hoc, aliqua saltem ratione, explicare.*

Veris & miris modis spiritus incorporei cruciantur.

### SECTIO PRIMA.

Proponitur sententia de poena per alligationem ad ignem.

Quo pacto fiat haec alligatio ad ignem.

**P**RIMA itaque, eaque celeberrima hac in re sententia est, in hoc sitam esse poenam quae Angelis ab igne provenit, quod eidem alligantur, vel per intimam praesentiam, vel unionem etiam

realem affligantur, iuxta illud 2. Petri 2. versu 4. *Deus Angelis peccantibus non peperit sed rudentibus inferni detritos in tartarum tradidit.* Imò volunt aliqui eos igneis quibusdam corporibus perpetuo includendos.

Hinc ergo ingentem concipiunt dolorem, ignemque tanquam maxime sibi disconvenientem apprehendunt, cum sit contra naturalem inclinationem spiritus (cui & libertas debetur & supremus in universo locus) rei tam vili puniendis quoque hominum corporibus deputatae, in loco etiam infimo,

II. Quomodo daemones ab igne doliuntur & poenam percipiunt.



SECTIO SECUNDA.

Cruciatu per productionem qualitatis dolorifera.

imo, eoq̄ue sordium omnium sentinā detineri. Et licet omnes fortē demones jam igni non alligentur, certūque sit omnes non esse, saltem semper, in inferno, non tamen est minor eorum p̄na, quā aliorum; nam ut ait sanctus Thomas hic quaest. 64. art. 4. ad tertium, cū sciant sibi locum illum deberi, tantum cruciatu, quem ex timore & expectatione illius alligationis futura percipiunt eos affligit, ac p̄na quam ex actuali alligatione aliquando sunt percipiuri. Quod etiam de animabus damnatorum dici potest respectu novi cruciatu, quem ex corporum post resurrectionem combustionem percipient.

*Demonibus, qui extra infernum sunt, cruciatu ab igne proveniens.*

**III.** Licet omnium par sit ad ignem alligatio, dispar tamen esse potest cruciatu.

**IV.** Hoc genus cruciatu declaratur exemplo.

*Per alias creaturas potuisset Deus cruciare demones.*

**V.** Plurimi, & gravissimi Auctores tenent sententiam de alligatione ad ignem.

**VI.** Difficile videtur asserere alligationem hanc esse tantum dæmonum cruciatu.

Si quis objiciat, hinc sequi p̄nam omnium fore æqualem, cū alligatio, & consequenter causa p̄næ sit æqualis: Resp. licet alligatio sit æqualis, cruciatu tamen inde proveniente, inæqualem esse posse, ratione diversæ apprehensionis quæ prout magis vel minus fuerit vehemens, eō major est vel minor ignis cruciatu: sicut delectatio beatorum eō major vel minor est, quō visio fuerit perfectior.

Sicut ergo, inquirunt hujus sententiæ Auctores, homo febrī, siti aut aliā quacumque intemperie corporali affligitur, & torquetur, non in quantum agunt, seu activè aliquid efficiunt, sed in quantum unita, & persè immediatè disconveniunt subiecto in quo sunt; ita similiter ut ignis Angelos cruciet, non est necessarium ut effectivè in illis quidquam producat, sed sufficit quod iis sit unitus: hoc enim est malum Angelo, tum quia suā eum libertate privat, ad quam naturaliter maximam habet inclinationem, insuperque in imo loco detinet: tum quia ignis, ut dictum est, res est per se vilis, & ex eo vilior quod fetidis hominum flagitiosorum corporibus cruciandis sit deputatus, licet potuisset Deus eos per aliam quamcumque creaturam cruciare: tum denique, quia fortè in ratione objecti est ipsis disconveniētiens, & causa p̄næ, in quantum scilicet loco Dei, in quem tanquam in objectum summā contentione feruntur sancti Angeli & animæ beatæ, demones econtrariō summā necessitate coguntur loco Dei objecti perfectissimi, in cognitione ignis, creaturæ vilissimæ, mentis oculos perpetuò defigere, quod eos gravissimè cruciat.

Hæc est celebris illa sententia de p̄na per alligationem ad ignem, quam proinde cum totā suā probabilitate proposui, ut cui arriret, eam sequatur. In genere hanc opinionem tenet S. Thomas 1. p. quaest. 64. art. 4. ad tertium, & lib. 4. contra Gen. cap. 9. & alibi. Sanctum doctorem sequuntur Thomistæ, Capreolus, Cajetanus, Ferrara, & alii; Sanctus etiam Bonaventura 2. p. a. 3. q. 1. Scotus, licet eō tandem hanc p̄nam reducat, quod demon ob suam superbiam nollet ei alligari, Durandus, Gabriel & alii, qui omnes affirmant torqueri demones per alligationem ad ignem corporeum, non tamen omnes asserunt hanc solum esse eorum p̄nam, sed nonnulli aliam adjungunt.

Hæc sententia ob tantorum virorum auctoritatem sine dubio probabilis est: multa tamen mihi contra eam proponi posse videntur, quæ faciunt ut animus in ea plene non acquiescat, præsertim dum affirmat adæquatam dæmonum cruciatu ab igne in hac alligatione consistere: & sanè aliam ignis p̄nam quam hanc innuunt sancti Patres. Pluribus hanc sententiam hoc modo sumptam impugnabo infra, Sectione tertiā.

**P**ATER Suárez lib. 8. cap. 15. num. 4. licet non neget alligationem illam ad ignem jam explicatam, aliud tamen ulterius necessarīo requiri affirmat. Dicit itaque per hoc cruciari ab igne demones, quod ignis à Deo elevatus quantitatem quandam spiritualem doloriferam in iis producat, quæ, cū spiritualia maximè superent materialia, majorem multò iis dolorem infert, quàm res ulla corporea inferre possit sensui.

**I.** Secundus modus explicandi cruciatum dæmonum.

Hoc modo salvatur facilè quæ ratio eorum, qui gravius peccant, inæqualia sint tormenta, non ex parte tantum apprehensionis, sed ipsorum etiam tormentorum, quod in omni p̄nā pro offensis inflicta spectari solet. Hoc inquam facile intelligitur; nocuum quippe antecedens apprehensionem in diversis diversum est & inæquale: non solum enim qualitas illi habet latitudinem, diversosque intentionis gradus, sed variæ esse possunt qualitates hujusmodi spirituales dolorifera, sicut corporea; & quemadmodum hæ cruciant corpora, ita illa spiritus malè per se afficiant & torquant.

**II.** Qualitas dolorifera clarè explicat quo pacto eorum p̄næ sint ex parte objecti inæquales.

Dices primò: hac ratione non ignis ipse dicitur cruciare, sed tantum qualitas ab illo producta. Contrà, ignis corporeus dicitur calcifacere, comburere, & cruciare manum, exempli gratiā, & tamen hæc omnia præstat, non per se immediatè, sed per calorem à se productum. Idem est de aliis: sic enim ingens aliquod saxum homini cuiquam impositum, dicitur ei esse molestum, eumque affligere, cū tamen nil per se præstet, sed per gravitatem, & impulsu à gravitate productum.

**III.** Ignis materialem corpoream, non per se immediatè, sed per calorem à se productum cruciat.

Urgebis: ergo & Deus dici poterit Angelos hocse cruciare. Resp. Deum quidem tanquam causam principalem in iis p̄nam producere, non tamen est novum vel in Philosophiā vel Theologiā, ut actio verè tribuatur etiam causæ instrumentali: sic Sacramenta dicuntur verè producere gratiam, aqua baptismalis lavare, mundare animam &c. Verba consecrationis corpus Christi alligare speciebus, & alia hujusmodi, licet Deus sit, qui hæc principaliter præstet.

**IV.** Altitudo, non causa tantum principalis, sed etiam instrumentalis, frequenter tribuitur.

Instabis ergo, solum metaphorice torquentur ab igne. Resp. concedere hic omnes debere metaphoricum aliquem torquendi modum, ut optime notat Maratius de Angelis, disp. 55. sect. 7. num. 2. Alarcon tract. 6. disp. 9. cap. 10. & alii: dicit enim Scriptura & Patres ignem infernalem urere & incendere demones, & animas, quæ tamen non nisi metaphorice sumi possunt. Adde tamen ignem verè torquere & cruciare, non solum in quantum per substantiam & appropinquationem est disconveniētiens, sed quatenus etiam dolorem in manu efficienter producit, ut affirmant omnes, unde si verè idem præstet, qualitatem scilicet hanc doloriferam in demones & animabus damnatis producat, verè dicitur & hæc & illos cruciare, licet sola qualitas dolorifera, sive corporea sive spiritualis, ab igne vel in corporibus vel spiritibus producta, sit id quod cruciat formaliter, seu objective.

**V.** Concedere omnes debet metaphorice cum hic aliquid torquendi modum.

Ignis producendo calorem dicitur verè torquere.



SECTIO TERTIA.

Statuitur in quo situs hic demonum per ignem cruciatus.

I. **V**T meam hac de re sententiam aperiam: existimo opinionem illam de cruciatu per alligationem ad ignem sustineri probabiliter posse: contra tamen illam est, nam ut rectè Suarez & Maratus citati, Lessius lib. 13. de perfectionibus divinis, cap. trigésimo circa initium, & alii, communis sensus & conceptio fidelium est, aliam ab igne pati pœnam dæmones, & animas, quàm per meram ad eum alligationem: imò Scriptura & Patres aliam apertè innuunt, ut probat locus ille Sancti Augustini suprâ citatus, ubi ignem dicit *veris sed miris modis torquere spiritus*: at si merè per alligationem torqueat, modus non est adeo mirus. Deinde dives ille in inferno petiit levari sibi dolorem, non liberari ex illo loco; ergo præcipua pœna, quæ ipsum cruciabat, non erat alligatio, vel detentio in loco illo, & igne. Tertio Intelligentiæ sphaerarum caelestium motrices infra suas quæque sphaeras ita continentur, ut inde discedere nequeant, & tamen hac inclusione non torquentur pœnâ sensus. Quarto animæ puerorum sine baptismo decedentium, juxta hanc sententiam cruciarentur pœnâ sensus, cum ad locum subterraneum sint alligatæ, & in eo conclusæ. Quinto animæ in purgatorio pœnâ sensus graviter non torquerentur cum brevi se ex illo loco sciant egressuras.

II. Huic ergo alligatiōni superaddi necessariò debet productio qualitatis istiusmodi doloriferæ: sic enim primò, magis propriè explicatur modus cruciandi ignis, qui dum torquet corpora, non per se solum tanquam per objectum, sed effectivè etiam id præstat, aliquid scilicet doloriferum in iis producendo. Deinde propiis accedit ad modum loquendi Scripturæ & Patrum de hoc ignis cruciatu; qui scilicet ubique penè asserunt ignem infernalem non solum cruciare & torquere (quod tamen etiam propriè fit per productionem qualitatis doloriferæ in corporibus, & consequenter in spiritibus, ut jam ostensum est) sed etiam urere cum dicunt & cremare dæmones, & animas. Hoc modo loquitur S. Cyprianus, Cyrillus, Gregorius, Ambrosius, Chrysostomus, Fulgentius, & alii. Quidquid autem sit, utrùm ad cruciatum præcisè requiratur vel non requiratur effectio aliqua, seu actio illius quod cruciat, in id quod cruciatur, certè ut ignis urat requiritur.

III. Licet verò hæc in proprio sensu sumi nequeant, cum spiritus ab igne uri propriè nequeant, explicare tamen debemus Patres modo maximè similitudini, qua ignis res urit corporeas: modus autem simillimus est, ut sicut ignis urens carnem, aliquid in eâ doloriferum corporeum producit, ita & torquens vel urens spiritum, aliquid in eo doloriferum spirituale producat; hic enim modus operandi maximè accedit ad ustionem propriam & corpoream. Deinde, ut bene notat Maratus citatus, dolor intensus passim dicit solet animum urere, & incendere.

IV. Si autem queratur cujusmodi sit hæc qualitas, quam ab igne immisam in spiritus dicimus: Suarez num. 48. ait talem esse, quæ reddat animam vel Angelum turpem ac deformem: sed quicquid sit de hoc, placet mihi quod affirmat Maratus num. 5. & insinuat Lessius num. 219. posse esse qualitatem

aliquam, quæ per se sit ingrata ac dolorem & cruciatum excitet. Nec ad hoc requiri ut aliquo naturaliter debito privet, aut aliud nocumentum adferat, præter seipsam, utpote quæ per se res ingrata est, & injucunda, & consequenter dolorem creans, majorem vel minorem pro diversitate quam in se habet: sicut etiam in corporalibus res, quæ ingrata sunt, & injucundæ, non semper privant aliquo connaturaliter debito, nec alio modo cruciant ac vexant, quàm per se. Sic soni varii ac sapes, etiam in rebus aliis salutaribus, & quæ ad conservationem hominum ordinantur, ut in medicamentis, maximam per se gustui molestiam asserunt. Ejusmodi ergo esse poterit qualitas hæc spiritalis dolorifera, per se scilicet molesta & injucunda, & consequenter dolorem, cruciatum, ac molestiam maximam per se in dæmonibus & animabus damnatis excitans.

V. Objicies dæmones, etiam extra infernum torquentur, ergo id per quod torquentur, non est qualitas ab igne infernali producta. Contra, ergo nec torquentur per alligationem ad ignem. Respondetur itaque primò, probabile esse dæmones & animas quo se cunque conferunt, ignem secum, à quo cruciatur, semper circumferre. Secundo, si dum extra infernum sunt, ignem sibi non habeant præsentem, nihilominus ignis in inferno existens potest miraculosè hanc in iis doloriferam qualitatem producere, & agere in distans. Tertio dicunt aliqui, in hoc casu Deum per se hanc in iis qualitatem producere, sicque non minus cruciantur, quàm si existerent in inferno: quâ in re hæc sententia superat illam de alligatione ad ignem; apprehendere enim quod aliquando sint alligandi igni, non est ei actus alligari, & consequenter nec puniri actu illâ pœnâ, quâ dæmones in inferno, & damnatorum animæ ibidem plectuntur.

SECTIO QUARTA.

Alii nonnulli cruciatus demonum explicandi modi.

I. **H**Æ, quas retuli, præcipuæ sunt circa cruciatum demonum in inferno sententiæ: ad plenior tamen hujus rei explicationem, diversa Theologorum circa hoc placita subjiciam, quibus rei obscurissimæ lucis aliquid asserre conantur, ut quisque ex variis opinionibus eam, quæ sibi magis arriserit, amplectatur.

II. Prima ergo sententia est, alio, præterquam per alligationem, modo dæmones & animas separatas torqueri, eum tamen nobis planè esse incognitum, nec certum aliquem, ac determinatum cum probabilitate assignari posse: ita Vasquez hic, Disp. 243. cap. ultimo. Eiusdem opinionis esse videtur Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 9. cap. 11. & alibi, favetque S. Augustinus lib. 12. de Civit. cap. decimo. Verùm, ut in aliis rebus difficilibus operam suam in iis declarandis laudabiliter collocant Theologi, ita hic etiam conatus adhibendus, ut res hæc declaretur, & è suis tenebris utcunque eruatur, quod & superioribus hisce Sectionibus præstitimus.

III. Secunda itaque sententia hunc demonum & animarum cruciatum in eo situm esse asserit, quod ignis à Deo elevatus actum doloris in iis de amissâ beatitudine, & aliis, quæ ipsi ex peccato proveniunt damnis spiritalibus producat: ita Arrubal hoc loco, & Alarcon Disp. 9. cap. 10. Sed contra, dicitur dolor

Diversa qualitas dicitur per se causat cruciatum.

Hæc qualitas per se molesta est, & injucunda.

Dæmones & animas circumferunt ignem secum, quæcunque aut, circumferunt.

Communis omnium conceptus est, aliam ab igne pati pœnam dæmones, quàm per alligationem.

Intelligentiæ sphaerarum caelestium motrices, ab iis cruciarentur.

Alligatiōni ad ignem addenda est qualitas dolorifera.

Patres requirere videntur qualitatem doloriferam.

Cruciatus per qualitatem doloriferam, proximè accedit ad ustionem.

Cujusmodi sit hæc qualitas dolorifera in dæmonibus.

Plures asserunt hæc de re referri sententias.

Volunt alii qui certum hujus rei modum esse quari non possent.

Secundis sententiis idem ignem vult cruciare, quia dolorem de amissâ beatitudine præducit.



dolor namque de aliis objectis non est pœna ignis, & aliud longè quàm hoc intendunt Patres, dum dæmonem torqueri affirmant ab igne: sicut neque dicere quis posset hominem cruciari pœnâ ignis, si hic per potentiam obedientialem elevaretur ad dolorem in eo de amici exempli gratiâ morte producendum. Deinde, æquè dicerentur formaliter torqueri à Deo, cum hunc in iis dolorem non minus producat Deus, quàm ignis.

IV. Tertiò asserunt nonnulli cruciatum ignis respectu dæmonum & animarum in hoc consistere, quòd is nimirum, vel speciem sui in illis producat, ut vult S. Bonaventura in 4. dist. 44. art. 3. q. 2. Albertus in 4. dist. 44. art. 2. Egidius & alii: vel, ut tenet Scotus q. 2. art. 2. Ockam, & Gabriel, quia ignis actum ipsum intelligendi, seu apprehensionem sui in iis efficiat, & hoc pacto liberam & expeditam aliarum rerum considerationem in ipsis impediatur. At sanè in hoc procedendi modo non fatis declaratur ingens illa pœna & cruciatus ignis: aliud enim quàm hoc, ut jam dixi, intelligunt Patres, quando vehementer adeo ab igne torqueri dæmones affirmant.

V. Quarta sententia docet pœnam hanc & cruciatum inde provenire, quòd vis illa ignis, non merè intelligibiliter, sed experimentaliter, & quodammodo sensibiliter percipiatur, ad eum fere modum, quo ab animâ percipitur unitâ corpori: ita Valentia hic, q. 15. punct. ult. Lessius lib. 13. de Perfectionibus divinis, cap. 30. ubi ait, substantiis purè spiritualibus vim quandam inesse, sensibiliter percipiendi ignem. Idem tenere videtur Tannerus hic, Disp. 5. q. 6. dub. 6. num. 16. & alii nonnulli.

VI. Hæc sententia quoad animas, quæ à corpore separata, in inferno cruciantur, utcumque defendi potest, præsertim in sententiâ asserente potentias non distingui ab animâ, sed actus omnes sentiendi ab ipsa animâ substantiâ immediatè effici, & in eadem similiter recipi immediatè. In hac, inquam, sententiâ dicunt aliqui non improbabiler, ab animâ jam à corpore separatâ sentiri pœnam ignis, Deo ad actum hunc sensationis cum animâ peculiariter concurrente, quo semel in eâ producto & recepto (quod tamen ab illâ, in statu separationis, non nisi miraculosè fieri potest) non minus, inquirunt, ignem, calorem, frigus &c. sensibiliter percipiet, & ab iis torquetur, quàm quando erat unita corpori. Hanc proinde sententiam defendit P. Arria-

ga hic, Disputatione vigesima-sexta, sect. quinta. Dicit nihilominus posset, quantumvis hujusmodi actus sentiendi in animâ separatâ miraculosè producatur, ut tamen suam det denominationem, dispositiones quasdam materiales requirere: ad eum modum quo qui peccatum mortale & gratiam dicunt posse simul in eadem animâ consistere, aiunt nihilominus gratiam tunc non denominare hominem gratum nec amicum Dei, sed ad hoc tanquam conditionem requirere absentiam peccati.

VII. At verò in dæmonibus, utpote substantiis spiritualibus completis, non tenet hæc sententia: creaturæ enim purè intellectuales cum sint, non nisi intellectualiter ad intus operari, & objecta, etiam materialia, percipere possunt; potentias enim sensitivas iis attribuere, esset planè philosophari gratis: nec talem iis inesse virtutem probari ullo modo potest.

VIII. Alia ratione hac in re procedit P. Coninck: quaestione enim de Purgatorio, dub. 3. ait Deum corporibus quibusdam dæmones & animas in inferno unire & alligare, quo, inquit, nexu facto, qualitates in corporibus illis receptæ, dæmones & animas efficiunt, & ab iis sentiuntur, sicque dolorem illis, & cruciatum inferunt.

IX. Sed contrâ: vel enim hæc unio, qua animæ corporibus hisce ununtur, est unio substantialis, seu informationis: hoc autem dici nullo modo potest, sic enim non animæ tantum, sed homines jam essent in inferno & Purgatorio, cum secundum hanc sententiam sit ibi tota substantia & essentia physica hominum, nempe materia, anima, & unio informationis, qua anima materiæ illi jungitur.

X. Si autem hæc unio non sit substantialis, sed accidentalis, qualis illa est, qua homines & res aliæ ununtur loco, non sufficit ut qualitates corporis animam efficiant, seu ut hæc objecta per illud sentiant; in tantum enim corpus ad actus sentiendi, objectaque percipienda animæ conducit, in quantum unum cum eâ compositum, & vivens constituit, quod non fit nisi per unionem informationis. Quæ à fortiori probant de dæmonibus, utpote qui substantiæ completæ cum sint, unionis informationis non sunt capaces. Ex his ergo constat cruciatum animarum & dæmonum, nisi per qualitatem doloriferam, supra, sect. 2. & 3. explicatam, declarari non posse.

VII. Aliud est habere actû sensationis, aliud sentire

VIII. Dæmones sensibiliter percipere ignem non possunt.

IX. Opinio asserens dæmones & animas corporibus quibusdam uniri.

X. Per hanc unionem non solvitur difficultas de cruciatu dæmonum.

XI. Unio accidentalis ad actû sentiendi non sufficit.

## DISPUTATIO LXXXII.

Varia, tum ad bonos, tum malos Angelos spectantia.

### SECTIO PRIMA.

De Angelis quibusdam, tum bonis, tum malis in particulari.

I. S. Michael Princeps caelestium exercitus.



UÆRES primò, quis omnium Angelorum sit primus, seu præcipuus? Bonorum Angelorum probabilis est præcipuum esse S. Michaellem: ita censet Salmeron Disp. 8. in Epist. ad Hebræos, & alii. Idem ex sanctis Patribus tenet S. Basiliius, R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

B. Laurentius Justinianus, & Sophronius, qui S. Michaellem appellat, Venerandum sacro militie Principem, & Angelorum Coryphaum: quodque caput est, cum Ecclesia vocat primatem cœlestis exercitus, ei festum peculiariter instituit, eum nominatim in Litanis invocat, ei in Confessione quotidianâ, in Missâ & Officio, dici solitâ confitetur: quæ omnia indicant S. Michaellem aliquam habere præ reliquis Angelis eminentiam.

Probabilis, inquam, est S. Michaellem esse bonorum Angelorum præcipuum: nonnulli enim hoc negant, sed alios quosdam dicunt esse ei in dignita-

II. Dicunt quidam S. Michaellem non esse bonorum Angelorum primum.